

## Universitätsbibliothek Paderborn

### V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi  
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum  
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicationem Pagina  
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Jesus Passus Per Centuriam  
Modorum Meditandi passionem Salvatoris nostri illustratus; cui  
accesserunt Meditationes In Passionem Domini XLVI. - Juxta numerum  
dierum Quadragesimæ

**Družbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066405**

64. Considerando Passionem Domini, quasi audiamus Esdram, id est  
Christum, librum legis super gradum ligneum stando legentem & nobis  
denuntiantem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45427**

Atque ad hanc ipsam intentionem, quantum possum, dirigo omnem quoque, omnis mortalis, & mortuæ, morituræ creaturæ mortem.

Accepta, ô Æterne Deus, pro tributo à me nunc tibi exhibito, oblationem illam, quam tibi de seipso fecit pro me JESUS, quamque de eodem Domino JESU Filio suo, simulque tuo, tum simul & de se ipso fecit Mater Domini JESU, itemque illam, quam & ipse JESUS, & ejus Mater MARIA fecerunt Tibi pro me, & pro omni creatura. Et insuper intendo per omnia esse totus tuus, toto illo modo, quo tuum esse Filius tuus fecit, tantoque me ad hoc amplius obligavit, quanto ipse plus pro me pertulit.

Usque huc Novarini modus atque sensus quantum per me licuit ex ejus Italico expressus: sitque hoc interim satis, de tributo solvendo pro Christi Domini Passione, Deo Patri Æterno, &c. &c.

## MODUS LXIV.

Exagesimus quartus Modus meditandi Passio-  
nem Domini nostri, esse potest, ejusmodi,  
quem adumbratum legimus in Esdra de quo  
scribitur. (*Congregatusque est omnis populus quasi vir unus ad plateam, que est ante portam aquarum.*  
*Atulit ergo Esdras Sacerdos legem coram multitudine virorum & mulierum, cunctisque qui poterant intelligere.* Et legit in eo aperte, de mane usque ad medianam diem in conspectu virorum & mulierum, & sapientium: *& aures omnis populi erant erectæ ad fibrum.* Stetit autem Esdras scriba super gradum  
K. P. Druzb. Op. VIII. C. ligneum

ligneum, quem fecerat ad loquendum. Et steterunt juxta eum ad dexteram ejus & ad sinistram ejus. Et aperuit Esdras librum coram omni populo, super universum quippe populum eminebat. Et cum aperuisse eum, stetit omnis populus.] Ad hunc ergo modum, & juxta hanc figuram, Christus Dominus noster Sacerdos, & scriba summus, atque sapientissimus, cogitari potest, stans super gradum ligneum, nempe super Lignum Crucis sua affixus, pendens aperire Librum Legis, qui ipse idem Dominus est, tum Liber, tum Lex, tum etiam Legislator. Qui liber scriptus intus & foris. Carinice, vae, & lamentationibus, in passione, partim clausus, & obsignatus, partim etiam apertus & lectus est: neque ab alio ullo, quam ab ipsomet Christo Domino melius: nam alii hunc ignorantes, voces Prophetarum que

*Act. 13. 27.*

*August. Tr.  
119. in Joan.*

per omne Sabbathum leguntur, judicantes impleverunt. Ad hunc ergo Lectorem Legis Divinæ, ad hunc Sacerdotem, & scribam super gradum ligneum, super Cathedram crucis suæ stantem, omnis Anima fidelis meritò concurret, & aures ejus ad Librum erunt erectæ. Optime enim & appositiè ad propositum præsens dixit, Augustinus.

*Crucem Christi, non solum esse lectulum morientis, sed etiam cathedram docentis.* Libeat ergo Animæ fidei cuicunque vel legere propriis oculis librum hunc, vel audire legentem semetipsum Librum ipsum: miro quidem per omnia, tamen vero modo, quoniam in rei veritate, & Liber, & Libri, & verba, & Lex, Lector Libri, & Legislator, unus ac idem est Dominus noster Jesus Christus: potestque, immo debet sive legi, sive lectus audiri, ab omni Anima fidei, Credendo.

dendo, Amando, Compatiendo, Obediendo, Laudando, Gratias agendo, Adorando, Servando, & Explendo, atque Imitando.

Porro quid sit in hoc Libro legendum non est quidem difficile nosse, tum ex ipsa Passione; tum ex modis supra jam adductis, & præcipue Modo v. g. 20. ubi agitur de Opere, Modo & Causa. Item Modo 36. De labore & dolore Christi in Passione. Item 24. De quavis Parte Passionis Christi, & de peccatis eam causantibus, deque virtutibus & earum doctrinis, in ea nobis propositis &c. &c. Possunt nihilominus sive legi, sive etiam tanquam lecta audiri in eo Libro, ea ipsa verba æternæ vitæ, quæ Christus sicut vivens docuerat, ita Patiens, atque Moriens, ipso Passionis & Mortis suæ actu exercebat, exercendoque prædicabat. v. g. docebat Christus vivens. Pernitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Dei: id ipsum luculenter, & legere, & audire est, ex hoc Libro, & ab hoc Le-  
ctorre super gradum ligneum, seu lignum Cru-  
cis stante, legente, prædicante, demonstrante.

2. Qui vult venire post me, abneget semetipsum  
Et tollat Crucem suam quotidie, & sequatur me.  
Lege hoc ipsum in libro isto, & audi ab Esdra Christo in cruce prælegente.

3. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, &  
da pauperibus, & veni sequere me, & habebis the-  
saurum in Cœlo. Lege hanc vocem, & vocationem  
in isto libro.

4. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Luc. 13. 24.

5. Contendite intrare per angustam portam, Matt. 11. 29.  
quia arcta est via quæ dicit ad vitam, & pauci sunt  
qui inveniunt eam.

C c 2

6. Di-

- Joan. 12. 24.* 6. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.  
*Luc. 12. 8.* 7. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit: ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.  
*Joan. 12. 13.* 8. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, & coram Angelis Dei, qui autem me confusus fuerit (aut erubescet) coram hominibus, confundar & ego eum coram Patre meo, & coram Angelis ejus.  
*Joan. 12. 13.* 9. Scitis quid fecerim vobis? vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis, sum eternum; Si ergo ego Dominus & Magister uester, lavi pedes vestros, (hæc, & talia pertuli pro vobis) & vos alter alterius debetis lavare pedes. exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, & vos similiter faciatis.  
*Joan. 14. 30.* 10. Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.  
*Joan. 3. 14.* 11. Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam eternam. Sic enim Deus &c.  
*Ibid. v. 16.* 12. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam eternam.  
*Joan. 15. 13.* 13. Majorem charitatem habet nemo, quam ut animam suam ponat pro amicis suis.  
*Joan. 10. 11.* 14. Ego sum Pastor bonus, & animam meam pono pro ovibus meis.  
*Joan. 4. 34.* 15. Meus cibus est ut faciam (patiar) voluntatem Patris mei, qui in Cælis est.  
*Luc. 6. 17.* 16. Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos, orate pro persequentibus vos; ut sit filii

filii Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum facit oriri, super bonos & malos, & pluit super justos & injūtos.

17. Si in viridi ligno hæc faciunt: in arido quid *Luc. 23. 37.*  
fit?

18. Qui autem in terram bonam (id est, qui *Luc. 8. 15.*  
sunt terra bona, semen verbi Dei excipiens) bi-  
faciunt fructum multum in patientia.

19. Qui autem perseveraverit usque in finem, *Matt. 10. 22.*  
hic salvus erit.

20. In Patientia vestra, possidebitis animas *Luc. 21. 19.*  
vestras.

21. Omnis qui non bajulat Crucem suam quo- *Luc. 14. 28.*  
tidie, & venit post me, non est me dignus.

22. Vulpes foveas habent, volucres cæli nidos, *Luc. 9. 19.*  
Filius autem hominis, non habet ubi caput suum re-  
clinet.

23. Hæc oportebat pati Christum, & ita intra- *Joan. 13. 16.*  
rein gloriam suam.

24. Non est servus major Dominus suo: sed suffi-  
cit illi, si sit sicut Dominus ejus. Si me persecuti sunt,  
& vos persequentur, si Patrem familias Beelzebub  
vocaverunt, quanto magis domesticos ejus?

Hæc omnia docuit Christus vivens inter ho-  
mines, hæc eadem omnia, legere est in ipso eo-  
dem Christo velut in libro super Crucem expan-  
so, hæc omnia audire potest, ac debet, Anima  
quævis, ab eodem, de Crucis gradu cathedraque  
prælegente: hæc omnia docet Christus patiens,  
& moriens, & quidem non jam solis verbis,  
sed ipsis operibus, atque adeò doloribus, & vul-  
neribus, ut dicere videatur: Si verbis meis non *Joan. 10. 38.*  
creditis, operibus credite; & ea operibus vestris  
complete.

Cc 3

Hæc

Hæc ipsa nostri Esdræ de ligno Crucis gradu seu cathedra legem Dei edocentis, præcepta, ad alia pauciora prioribus, non minus tamen prægnantia capita revocari possunt. In Christi enim Crucifixi & Passi volumine legi possunt e. g. hæc.

*Eph. 2. 4.* 1. Amor Dei, atque ut Apostolus loquitur,  
*Joan. 3. 16.* nimia Charitas Dei erga nos. *Sic enim DEUS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, &c.*

*Gal. 2. 20.* 2. Amor Christi Domini etiam erga eosdem nos. *Qui dilexit me, tradidit se ipsum pro me.*

*3.* 3. Via ad Cœlum unica, & recta, & tuta, per Crucem & passionem propter Christum.

*4.* 4. Odium immensum Dei contra peccatum, zelusque justitiæ ac furoris ejus contra ipsum.  
*Rom. 8. 32.* *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum in mortem. &c.*

*5.* 5. Immanitas poenarum inferni, destinatarum peccatis & peccatoribus. *Si enim in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Omnem patitatem in me non ferentem fructum, Pater meus tolleret eum, & in ignem mittet, & ardoret. Denique immanitatem illam hoc luculenter ostendit, quia sanguine Christi eam extingui oportuit.*

*6.* 6. Immensitas cœlestis gloriæ, quam adeò pretioso, id est divino sanguine comparari necesse erat. *Gaudete & exultate, quia merces vestra multa est in cælo. Sed Christi sanguine exarata.*

*7.* 7. Premium animarum nostrarum, quas Christus, non utique insipiens Mercator, sanguini, & vitæ suæ præferre non dubitavit, quod sane amplius est longè, quam illud ejusdem Domini dictum. *Quid prodest homini, si universum mun-*

dum li  
bomo  
dit su  
tram?

8.

Exempt  
feci, i  
suam E  
pulus.

N  
lis Ma  
Opuf  
ta rev  
ne, P  
Gravi  
Christ  
stum  
& ing  
omni  
rum: c

L  
rentii  
dabun  
eloqu  
mente  
tionis  
immit  
rium.  
abyssu  
titudo  
mē de  
ō hom  
in illo  
debita

dum lucretur, &c. Aut quem commutationem dabit homo pro anima sua? Certè Christus pro ea dedit suam. Vide ergo quanti aestimavit alterum?

8. Exemplum omnino imitandum omnibus.

Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego *Joan. 13. 19.*  
feci, ita vos faciatis. Qui non bajulat Crucem *Luc. 14. 24.*  
suum & non sequitur me, non potest meus esse disci-  
pulus.

Nicolaus Lancicius, accuratus vita spiritua-  
lis Magister, tomo 1. Operum Spiritualium.  
Opusculo 10. Meditatione 29. ad quatuor capi-  
ta revocat omnia quæ præcipue in Christi Passio-  
ne, Passique Christi libro legenda sunt. 1. est,  
Gravitas peccatorum nostrorum. 2. Liberalitas  
Christi in nos, eandem vicissim à nobis in Chri-  
stum requirens. 3. Amor efficax Inimicorum,  
& ingratorum, & indignorum. 4. Renuntiatio  
omnium commodorum personalium, proprio-  
rum: quæ apud ipsum fusiùs legere est.

*Lancicius*  
*opusc. 10. med.*  
*29.*

Libet hunc Modum concludere Beati Lau- *Laur. Justin.*  
rentii Justiniani verbis, quæ supra dictis lucem *lib. de Trium-*  
dabunt. Nihil eorum, quæ in sacro continentur *pbali Agone*  
*eloquio, sic humanum valet excitare affectum,*  
mentem erigere, temperare laborem, peregrina-  
tionis tedium auferre, & felicitatis æternæ spem  
immittere, quam redemptionis humanæ myste-  
rium. In illo miserationis divinæ reseratur  
abyssus, cœlorum aperitur janua, charitatis la-  
titudo ostenditur, & quantus sit homo apertissi-  
mè demonstratur. Pro tuis itaque facinoribus,  
ō homo, tristare in Christo. [ „ Te agnosce „  
in illo, tua in ejus afflictionibus metire delicta „  
debita tua, in Christi lege membranis. Ipsius „

Cc 4

attri-

attritio, livor, & passio, nostræ sunt calamitatis indices, & adeptæ pacis speciales testes. Hanc itaque (pacem) non in membranis, non in lapide, neque in ligno, sed sanguine proprio in sua carne conscripsit. Librum hunc, ut ab universis legatur publicè exposuit, non sermone composito, vel humanæ sapientiæ exaratus est verbis, sed hominum interveniente malitiâ, dígito Dei scriptus; nempe sacerdibus inimicis depictus est foris: Charitate autem & sapientiâ Christi, formatus est intus. Habet foris, simplex & indoctus quid legat, habet spiritualis & perfectus quid intus intelligat. Legit simplex & latificatur, atque compungitur, exercitatus vero intelligens irradiatur, atque accenditur. Quis, nisi Sapientia Doctrrix poterat tam multa paucis colligere, abbreviatam legem, legalia Sacra menta, charitatis compendium, perfectio nis celsitudinem, & totum Redemptionis humanæ Modum, in hoc Corporis sui conclusit volumine. Quamobrem cum scribere compleisset, nihilque superesset scribendum, dixit: „*Consummatum est.* Hæc Beatus Laurentius.

## MODUS LXV.

**S**Exagesimus quintus meditandi Passionem Domini Modus esse potest; si assumatur Christus Patiens vel Passus, atque meditandi proponatur, ita, ut totus quantus est Christus, opponatur homini, vèlut quidam accusator, expostulatorve, ac simul Judex, simulque etiam Medicus, aut Parens Indulgentissimus. Opponatur autem secundum omnia exteriora & interiora